

At non haec nullis hominum sator atque deorum 725
 observans oculis summo sedet altus Olympo.
 Tyrrhenum genitor Tarchonem in proelia saeva
 suscitatur et stimulis haud mollibus incitat iras.
 ergo inter caedes cedentiaque agmina Tarchon
 fertur equo variisque instigatur vocibus alas 730
 nomine quemque vocans, reficitque in proelia pulsos.
 'quis metus o numquam dolituri, o semper inertes
 Tyrrheni, quae tanta animis ignavia venit?
 femina palantis agit atque haec agmina vertit.
 quo ferrum quidve haec gerimus tela inrita dextris? 735
 at non in Venerem segnes nocturnaue bella
 aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
 exspectate dapes et plenae pocula mensae
 — hic amor, hoc studium — dum sacra secundus
 haruspex
 nuntiet ac lucos vocet hostia pinguis in altos.' 740
 haec effatus equom in medios, moriturus et ipse,
 concitat et Venulo adversum se turbidus infert
 dereptumque ab equo dextra complectitur hostem
 et gremium ante suum multa vi concitus aufert.
 tollitur in caelum clamor, cunctique Latini 745
 convertere oculos. volat igneus aequore Tarchon
 arma virumque ferens, tum summa ipsius ab hasta
 defringit ferrum et partis rimatur apertas,
 qua volnus letale ferat; contra ille repugnans
 sustinet a iugulo dextram et vim viribus exit. 750
 utque volans alte raptum cum fulva draconem
 fert aquila implicuitque pedes atque unguibus haesit,
 saucius at serpens sinuosa volumina versat
 arrectisque horret squamis et sibilat ore,
 arduos insurgens, illa haud minus urget obunco 755
 luctantem rostro, simul aethera verberat alis:
 haud aliter praedam Tiburtum ex agmine Tarchon
 portat ovans. ducis exemplum eventumque secuti
 Maeonidae incurrunt. tum fati debitus Arruns
 velocem iaculo et multa prior arte Camillam 760